

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0046

0044

0050

0040

0055

0035

0095

0145

0545

1045

Ende

Anfang

35

Lucae II. Igitur a diversorio illo recessimus et laeti fuimus, quod a loco moti fuimus, quia habuissemus noctem insecurem propter offensionem Sarracenorum. Interea luna orta est, et cum magna festinantia descendimus per viam periculosam per saltus et per abruptas petras, in quibus viis aselli secure et sine casu transire sciunt, et se submittere de petris cum anterioribus pedibus mira industria, quod equo facere esset impossibile. Viae enim illius deserti sunt petrosae, plerumque altae et strictae, et ex utraque parte valles profundae, et si bestia ocyus cecidisset per abrupta petrarum, in aliquam profundam voraginem incidisset, et [homo] simul cum bestia perditus fuisset. Mirabar de mulieribus, sociabus nostris, cum tamen mulieres naturaliter sint timidae, quod ita audacter incedebant. Quaedam autem mulier Sarracena equitavit nobiscum usque in Jericho, juvenis et ornata suo modo, cujus tamen vultum nullus videre potuit, quia erat panno nigro perspicuo tecta, ipsa tamen nos inspicere potuit. Tandem autem ad finem descensus venimus in campestria Jericho, quae incipiunt in pede montium Israel, et cursim per Jericho transivimus, et per locum Galgalae descendimus per planitiem quasi tribus horis (B) et in solitudinem Jordanis venimus per quam descendentes usque ad Jordanis alveum pervenimus. Ibi erge asinos asinariis resignavimus et a Sarracenis recessimus, qui se inter arbusta ad quiescendum locabant, nos vero in ipsum alveum sancti fluminis descendimus usque ad aquam, et refrigeratis manibus in sabulo nos ad quiescendum posuimus, et ibi cum pace quievimus paululum, quia non longe aberat dies.

De Officio divino juxta sanctum flumen peracto in
ejus littore.

Vicesima die, quae fuit dominica octava post festum sanctae Trinitatis, cum iam clara lux esset, surreximus nos sacerdotes primo et Officium nostrum sic in littore sacri fluminis legimus. Et cum matutinas et primas legissemus, descendimus nos clerici usque ad aquam sanctam, et incepit cantor alta voce versum illum: Lavacra puri gurgitis coelestis

3*